

qui habet superfluum in bonis quo non indiget, et tamen non vult succurrere proximo necessitatem patienti, per se virtualiter vult damnum proximi, quia succurrere non vult, juxta illud commune dictum Ambrosii: «Si non pavisti, occidisti.» Nec potest excusari dicendo, quod utitur re sua, et jure suo, quia jus proprium non contradicit charitati, quæ bona superflua præcipit erogari in sublevationem pauperis. Ita regulandum est in actionibus, quod quando pro mea utilitate, aut necessitate non est opus tali actione, et alias ex illa proximo sequitur nocuum, teneor quasi ex charitate erogare illam actionem, ne sequatur malum proximo ad modum elemosynæ, et sic licet habeam jus utendi illa actione, tamen hoc est sine præjudicio charitatis: sicut habeo jus utendi re mea, et tamen si non sit mihi necessaria debeo dare elemosynam indigenti, quia jus meum est sine præjudicio charitatis. Quod si non dederim, remanet mihi voluntarium illud damnum, et nocuum pauperis. Sic ergo mulier, quæ videt ex confessione sua sequi lapsum sacerdoti, et potest commode confiteri alteri, debet ei quasi elemosynam largiri, scilicet negationem suæ confessionis sacerdoti fragili ne labatur: et similiter quæ commode potest non exire domo ubi, et quando videt se libidinose adamandam debet illi homini præstare, et dare quasi in elemosynam illam omissionem exeundi, seu detentionem, ne alter labatur. Quod si non faciat, censetur velle damnum alterius, et per se sequitur ex tali actione, sicut per se, et non per accidens sequitur ex negatione elemosynæ damnum proximi, quando potest commode illam dare.

XLIII. Qui autem ex prævisione pollutionis secuturæ in somnis vult sumere talem cibum, aut potum, aut

corporis positionem, non per accidens, sed per se vult illam pollutionem in causa, et sumit quasi instrumentum ad illam talem cibum, et potum; unde illa pollutio jam redditur voluntaria in causa (et consequenter mala) licet in somno eveniat, sicut accidunt ea, quæ aliquis facit in ebrietate quam voluntarie assumpsit cum prævisione damni. Cæterum si indigeat aliquis illo cibo, aut potu, et propter indigentiam sumat, utitur jure suo, et eventus pollutionis est per accidens: sicut etiam mulier quæ commode, non potest omittere egressionem e domo, vel confessionem cum illo fragili sacerdote, potest uti jure suo, et damnum secutum est ei omnino per accidens.

XLIV. Tertio colligitur ex dictis, quomodo dicantur multiplicari actus morales, seu peccata sive in actibus exterioribus, sive in interioribus. Est enim difficile id judicare, et non parva dissensio inter auctores, id tamen non leviter necessarium est pro praxi confessionis, in qua numerum peccatorum tenemur confiteri, et non solum species. Nec est dubium de peccatis omnino consummatis exterius, in illis enim clare apparet distinctio et numerus, verbi gratia tot homicidia tot furta, tot adulteria, etc. Isti enim actus sunt non solum distincti, sed etiam non connexi inter se, et sic aperta est distinctio numerica in illis. Similiter in actibus interioribus ejusdem speciei (de diversis enim quoad species non loquimur) manifesta est multiplicatio peccatorum, quoties non solum actus sunt distincti quasi physice, sed etiam non connexi inter se moraliter, ut quando aliquis voluit aliquid, et postea contrariam habuit voluntatem, et iterum voluit illud, isti actus manifeste sunt peccata multiplicata, quia et physice sunt distincta, et moraliter non connexa.

XLV. Difficultas est in duobus. Primo, quando actus sunt quidem distincti, sed aliquam inter se connexionem habent, ut quia ordinantur ad eundem finem, an peccata ipsa multiplicentur, sive in exterioribus actionibus, sive in interioribus actibus: secundo, an aliqua alia discontinuatio in actibus præter retractationem voluntatis prioris, vel aliquod extrinsecum impedimentum, verbi gratia oblivio, somnus, distractio ad alia opera, sufficiat ad multiplicanda peccata, vel actus morales, quando iterantur post ista impedimenta, et aliqui dicunt multiplicari hos actus per repetitionem quamcumque, et iterationem eorum quasi physice, etiam si impedimento aliquo extrinseco interrumpantur; alii sola retractatione, et actu contrario, seu destructione prioris voluntatis; alii per quamcumque actionem non habentem connexionem, et continuationem moralem cum tali fine. Tunc autem non habet continuationem moralem, quando in se ad illum finem non ordinatur, et parvo tempore durat illa actio, et non facit moralem discontinuationem ad alias actiones habentes ordinem ad talem finem. Nam si multo tempore durat illa actio intermedia, discontinuationem moralem facit. Sed hoc est fere incidere in primam sententiam, quia etiam somnus, et oblivio, aliaque similia impedimenta habent multo tempore durare, et sic facient discontinuationem sufficientem ad multiplicationem actionum.

XLVI. De hac quæstione multa agunt theologi in materia de confessione circa integritatem, et obligationem explicandi numerum peccatorum in confessione, de quo videri potest Suarez tomo iv de poenitentia, disp. 2-2, sect. v, et magister Nunno in additionibus ad tertiam partem, quæst. ix, articulo. ii, dub.

i; de ea etiam agit Cajetanus 2-2, quæst. lxvi, articulo iii, circa solutionem ad primum, et tomo i opusculorum tractatu ultimo, responsione xv, dub. ii, et Cano in relect. de poenitentia, part. v.

BREVITER PRO PRÆSENTI MATERIA.

XLVII. Ad primum dubium dico, quod si aliqui actus alias physice in se, et entitative distincti habent connexionem moralem per se cum aliquo fine, aut voluntate finis in eos influente, unum censentur peccatum conflatum ex unica voluntate interiori, et actibus externis illi voluntati subordinatis, et ab ea participantibus eandem numero malitiam. Secus si multiplicentur voluntates internæ, aut actus illi externi in se distincti solum per accidens jungantur illi voluntati, non per se. Hæc sumi videtur ex D. Thoma in hac quæstione xx, art. iii ad tertium dicente: «Esse eandem numero bonitatem, aut malitiam in actu interiori et exteriori quatenus exterior denominatur a malitia interioris, ut a causa analogica, et secundum proportionem.» Ergo stante unico actu voluntatis agente, et dominante omnes illos actus externos, stat unica malitia, et unicum peccatum, sicut ab eadem visione nascitur eadem denominatio visi, omnes enim illi actus uniuntur moraliter in aliquo uno, a quo est tota malitia.

XLVIII. Cæterum non videtur hæc probatio sufficiens, quia ab una forma analogice, et secundum proportionem dominante, stat bene resultare plura denominata, aut denominationes numero diversas juxta diversa subjecta, sicut ab eadem visione resultat plures denominationes visi in diversis objectis, et ab eadem sanitate animalis diversæ

medicinæ dicuntur diverso modo sanæ, licet omnes ordinentur ad eandem infirmitatem sanandam, sicut diversa medicina est pharmacum, et scissio venæ, et fomenta extrinseca, aliaque similia. Ergo similiter licet ad eundem finem seu intentionem plures actus ordinentur, possunt diversam rationem peccati, et denominationem saltem numero diversam participare.

XLIX. Quare huic loco adjungimus alium efficaciorum D. Thomæ, et utrumque conjungimus nempe supra quæst. xvii, articul. iv, et quæst. xviii, artic. vi, simul cum his quæ docet in hac quæstione xx, articul. iii. Inquit enim D. Thomas dicta quæstione xvii: « Quod imperium, et actus imperatus sunt unus actus humanus sicut quoddam totum est unum, sed secundum partes multa: » et solutione ad secundum dicit: « Quod ex hoc quod actus imperans, et imperatus possunt ad invicem separari, habetur quod sunt multa partibus, nam partes hominis possunt ab invicem separari, quæ tamen sunt unum toto. » Ex quo deducitur, quod si actus imperatus in genere morali se habet ut pars actus imperantis, et est cum eo unum totum, ergo omnes actus ab illo imperio procedentes sunt unum cum illo, sicut partes ejus morales, et facientes unum totum, ergo sunt unum numero adæquate, et solum illi plures actus sunt plura peccata inadæquate, et partialiter, non simpliciter plura. In quo ponitur differentia ab his quæ pure denominantur ex una forma analogam tamquam effectus, et denominationes extrinsecæ, sicut plures medicinæ denominantur sanæ a sanitate animalis, et tamen se habent ut plura sanativa; et ab his quæ se habent ut partes componentes unum totum morale cum actu illo cui subordinantur, quod est non dividere

plura numero peccata pluralitate morali simpliciter, sed plura inadæquate, et per modum partium ejusdem morali totius.

L. Et fundamentum hujus traditur a D. Thoma tum ibi, tum in quæstione xviii citata, articulo vi, quia actus inferior se habet ut materia respecta actus imperantis, et actus imperans ut forma, eo quod dat illi totam rationem formalem, et motivum operandi in genere morali. Multiplicatio autem materiæ sub eadem subordinatione ad formam multiplicat partes materiales in aliquo toto, sed non multiplicat ipsum totum in illo ordine, et linea morali, sicut nec ipsam rationem formalem, quia tota illa materia, seu materiales actus sunt informabiles ab unica forma, id est, ab una ratione formali et motivo, et omnis materia subordinabilis uni formæ non extrahit compositum ab unico toto simpliciter. Quare manente subordinatione in pluribus actibus ad unum a quo sumitur motivum, omnes illi actus in linea, et genere morali redduntur partes, quia connectuntur ratione illius subordinationis inter se, et faciunt unum in esse morali, hoc est in ratione regulationis, et conformitatis ad regulam, sub uno fine, et motivo. Tales ergo actus materialiter plures solum inadæquate, et partialiter multiplicat peccata, non adæquate, et simpliciter, quia morali unione, hoc est subordinatione conjunguntur.

LI. Unde explicatur altera pars nostræ assertionis, quod si per accidens se habeant, et per se non subordinantur illi actus, non efficiunt unum numero peccatum, sed plura. Quod sumitur ex eodem D. Thoma citata quæstione xvii, articulo iv ad primum, ubi inquit: « Quod si essent plures potentiæ ad invicem non ordinatæ, actus earum essent simpliciter diversi, sed quando una

potentia est movens alteram, tunc actus earum sunt quodammodo unus. » Quando autem actus externi per accidens conjunguntur alicui actui, non sunt ad invicem ordinati, quia per se non respiciuntur, nec influxum ex illa voluntate habent, et sic deest unio illa morali, qua inter se componuntur ut partes, et faciunt totum, seu unum in genere morali; vel quod verius puto quando aliquis actus externus per accidens continuatur, et coordinatur aliis, oritur ex nova voluntate peccantis, et ideo distinctum numero peccatum facit, nec se habet ut pars aliorum actuum, quia non eodem voluntario, nec eadem moralitate informatur, nec ab eadem voluntate procedit. Et hoc ideo, quia quæ per accidens se habent, et tamen voluntaria sunt, oportet reduci ad aliquam causam per se etiam voluntariam, sed non ad voluntatem respectu cuius per accidens se habent, ergo ad aliam voluntatem. Nec enim homo videns hunc actum a priori illa voluntate exire non posse per se, et tamen volens illum, potest non inclinari ad illum, et sic alium voluntatis actum erga illum habere. Multiplicato autem voluntatis actu et diversificato, quidquid ex illo oritur tamquam actus externus, etiam diversum numero in genere morali est, quia non se habet ut pars alterius actus prioris, nec cum illo unum facit.

LII. Et hinc colligitur, quod intendens occidere, vel furari, et ex hac intentione, seu voluntate parans instrumenta, iter arripiens, aut alias similes actiones faciens ad talem finem per se ordinatas, unico peccato moraliter uno, et adæquate uno peccat, licet plures partes, et inadæquate peccata habeat. Et similiter committens adulterium, et in ordine ad illud faciens actiones, seu proferens verba, quibus talis

actio exerceri solet, licet illa impudica sint, et de se peccata, in unico tamen peccato includuntur, tamquam partes ejus morales. Si tamen aliquas actiones extraordinarias exerceat, et per se non requisitas ad talem finem, ut extraordinarios aliquos tactus, vel impudicitias, illa erunt peccata seorsum, quia solum sunt per accidens ibi conjuncta, et ex alia voluntate procedentia. Et si quis non solum ad occidendum alterum pararet instrumenta, vel iter arriperet, sed etiam crudelitatem aliquam extraordinariam faceret, ut comedere aliquid de carnibus occisi, aut ejus bibere sanguinem in signum odii, talis actus esset novum peccatum, licet per accidens alteri actui conjunctum.

LIII. Ad secundam vero interrogationem dicimus, quod quælibet discontinuatio quæ talis est ut de novo repetat quis, et renovet actum voluntatis, indeque procedat ad novos actus externos, facit novum peccatum numero distinctum, quia intentionem habet numero distinctam, novumque imperium. Si tamen distractio, aut discontinuatio talis non sit, quod indigeat novo actu voluntatis, seu imperio, sed continuentur actus externi ex virtute prioris actus, qui virtualiter extenditur ad omnes actus exteriores, etiam aliqua distractione, vel discontinuatione interveniente, non facit distinctum peccatum numero in genere morali, sed solum novam partem, seu partiale peccatum, et inadæquatum; eodem prorsus modo sicut quando durante eodem actu imperante formaliter plures ex illo actus externi derivantur. Videatur de hac resolutione, magister Nugno ii tom. quæst. ix additionum, articulo ii, difficult. ii, §. Sed major difficultas.

LIV. Et ratio ejus sumitur ex dictis, quia ubi nova datur intentio, seu voluntas, multiplicatur etiam ratio

voluntarii in omnibus quæ ex tali nova voluntate procedunt, ergo etiam multiplicatur ratio peccati, vel bonitatis, si quidem ratio malitiæ, vel bonitatis sequitur actum in quantum voluntarium. Ubi ergo multiplicatur voluntarium propter novæ voluntatis, seu intentionis multiplicationem, multiplicabitur et moralitas quæ est hujus voluntarii regulatio passiva. Quod si non sufficit hæc nova voluntatis, seu voluntarii multiplicatio ad multiplicandum peccata numero, nulla restat via, seu modus multiplicandi peccata numerice, quia peccata non possunt numero multiplicari nisi multiplicatis actibus, peccata enim actus sunt. Et isti actus vel sunt externi, qui participative voluntarii sunt, vel interni, qui sunt ipsa voluntatis intentio, et actus a voluntate elicitii. Et quidem si solum externi multiplicentur, non sufficiet multiplicare peccata quamdiu remanet unitas ex parte actus voluntatis, quia saltem tunc uniuntur in ratione voluntarii, licet entitate actus dividantur. Si vero etiam ipse actus voluntatis, et consequenter ipsa ratio voluntarii regulati multiplicetur, quæ est quasi forma, et anima actus externi in genere morali, non remanet principium per quod actus reddatur unus; non in entitate, quia multi sunt actus externi; non in ratione voluntarii, quia multiplicantur actus voluntatis; non in ratione regulationis passivæ, quia hæc multiplicatur juxta multiplicationem actuum voluntatis, licet regula in se sit una, quia alias omnes actus luxuriæ, vel injustitiæ essent unum numero peccatum, si quidem eadem regula regulantur.

LV. Et hinc deducitur secunda pars responsionis, quia si voluntatis actus non multiplicantur, sed est unus, et idem respectu plurium actuum externorum, licet isti discon-

tinuantur entitative, tamen continuantur sub eadem ratione voluntarii, quia moventur ab eodem actu voluntatis virtualiter perseverante, eodem enim modo operatur voluntatis actus semel factus, et postea perseverans virtualiter, id est, non retractatus, ac si actualiter durasset, ut patet quando aliquis deliberat de occidendo alterum, vel de furto faciendo, aut adulterando; si enim ex illa voluntate iter arripit, et in itinere divertitur ad cogitandum de alia re, aut dormit, vel aliquid aliud facit, quod interrumpat illum actum eundi ad talem finem, et iterum prosequatur non eliciendo novum actum voluntatis, quia forte non recordatur, sed ex vi prioris semel facti, tunc dicimus, quod talis interruptio non sufficit causare diversum peccatum simpliciter et adæquate, quamdiu manet, et dimanant illi actus ab unico actu voluntatis, quia remanent sub eodem actu voluntatis, si quidem ab illo imperantur et moventur; nec obstat illis interruptio illa physica, quin moveantur, et deriventur ab uno solo actu voluntatis prius elicitio, et adhuc virtualiter operante, et movente, ergo in genere voluntarii omnes isti actus (alias physice interrupti, et diversi) se habent ut partes illius, seu ab eo procedentes, et eodem prorsus modo sicut actus imperati respectu actus imperantis, quos D. Thomas vocat partes illius, et unus numero actus adæquatus, licet inadæquate sint plures. Ergo eodem modo dicendum est, quod illi plures actus discontinuati, et interrupti, quia tamen sub eodem actu imperante subordinantur, licet ille formaliter non daret, sed solum virtualiter, adhuc dici debent partes illius actus, et inadæquate se habere ad illum, licet adæquate faciant unum actum numero moraliter, utpote partes ejusdem actus imperantis.

LVI. Nec obstat, quod detur aliqua discontinuatio inter actum et actum, quia hæc discontinuatio est physica, utpote quia interrumpitur elicientia actus, non autem est discontinuatio moralis, quia ex eodem actu prius elicitio, et non repetito, neque multiplicato continuatur influentia moralis, scilicet imperium in hos actus; et sic ratione talis influentiæ habent se sicut partes ejusdem actus imperantis, quia ab eodem virtualiter durante, et non multiplicato, neque variato moventur, et imperantur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

LVII. Primo arguitur ad probandum, quod bonitas, vel malitia actus exterioris, etiam ut exterioris præcise addat ad bonitatem, vel malitiam interioris actus. Et ad hoc facit in primis auctoritas Augustini qua nostram sententiam premi dicunt adversarii. Dicit enim Augustinus xiii de Trinitate, cap. v: « Mala voluntate, vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur. » Sed non potest dici, quod sit miserior, nisi quia fit culpabilior, solum enim loquitur de miseria culpæ, seu de miseria voluntaria, qua ipsa videlicet voluntas sit deterior, seu miserior; ergo addit exterior actus in miseria, seu malitia ad malitiam actus interioris, alias non fieret miserior potestate qua impletur malum desiderium opere externo.

LVIII. Confirmatur, quia ad opus externum requiritur gratia Dei præter illam quæ requiritur ad opus internum; ergo correspondet ei specialis bonitas, et superaddita. Consequentia probatur, quia speciali gratiæ debet correspondere specialis effectus; effectus autem gratiæ est bonum aliquod morale, ergo oportet quod si ad opus exter-

num, ut tale requiritur gratia distincta ab ea quæ requiritur pro opere interno, illud habeat distinctam bonitatem. Antecedens autem probatur ex illo loco Concilii Tridentini sessione vi, cap. xvi, ubi dicitur: « Quod virtus Christi jugiter influit in hominem justum, ut bona opera antecedit, concomittetur et sequatur, » ubi gratiam subsequenter requiri ad hoc ut opus externum fiat, quod sequitur ad opus internum, seu post ipsum, ut communiter sentiunt auctores, et docet Augustinus in enchiridio, cap. xxxii, ergo specialis gratia requiritur ad faciendum opus externum, et consequenter specialem bonitatem habet illud opus, quatenus externum est.

LXI. Respondetur locum Augustini in primis non loqui de solo actu externo, ut præcise dicit exterioritatem superadditam interno actui, sed loquitur de potestate ipsa (utique proxima, et expedita) qua potest voluntas mala exterius impleri. Hæc autem potestas sine dubio miseriorem facit, quia de se extendi potest ad faciendum externum actum cum majori intensione, aut multiplicatione actuum, aliisque circumstantiis addentibus malitiam, et sic talis potestas ad implendum voluntatem tam variis modis et circumstantiis, sine dubio miseriorem hominem facit, id est, majoris culpæ capacem. Nos autem non negamus externum actum addere novam malitiam actui interno in aliquibus casibus, ut expresse docet S. Thomas in articulo quarto hujus quæstionis xx, sed loquimur de actu externo cum præscissione, quatenus præcisam exterioritatem dicit, ita quod voluntas interna sit perfecta taliter, quod operaretur si posset, et solum illi desit exterior executio, hæc enim si deficit, voluntate existente perfecta, non est ex nova ratione voluntarii, sed potius quod sic defi-

ciat involuntarium esse potest, atque adeo de se non addit meritum, aut demeritum. Potestas vero ad implendum malam voluntatem extenditur, quantum est de se ad operandum actum externum, et implendum illam voluntatem, non cum præcissione sola exterioritatis, sed etiam cum aliis circumstantiis addentibus malitiam, ut si fiat cum majori intensione, multiplicatione actuum, et aliis similibus, ideoque illa potestas ad hæc omnia se extendens miseriorem hominem reddit.

LX. Vel secundo dicitur, quod quando Augustinus dicit, quod fit miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur, intelligitur quod fit miserior extensive et accidentaliter, non substantive et multiplicative. Nos autem non negamus addere actum externum extensionem aliquam malitiæ, et accidentalem participationem malitiæ interioris loquendo de præcisa ratione exterioritatis illius actus supra interiorem, sed solum negamus additionem aliquam, vel multiplicationem malitiæ super malitiam interioris actus ex eo præcise quod exterior actus adsit, vel desit. Et ideo potestate illa ad implendum actum externum miserior fit voluntas saltem accidentaliter et participative, sicque salvatur sensus Augustini. Itaque potestate ad implendum malum desiderium, ut præcise est exterior adimpletio, fit miserior extensive et accidentaliter: potestate ad implendum desiderium absolute, et omnibus modis, quibus potest impleri, fit miserior etiam absolute et substantialiter.

LXI. Ad confirmationem respondetur gratiam non solum comitari, sed etiam subsequi opera bona, quæ a justis fiunt, non solum ratione actus externi subsecuti ad internum, sed etiam ratione diversorum actuum, qui subsequuntur ad nostram

primam conversionem, et continuat illam, ac perseverantiam faciunt. In hoc enim sensu loquitur Concilium, scilicet de operibus subsequentibus primam conversionem, non de actu ut pure externo subsecuto ad internum. Et talibus actibus correspondet diversa bonitas, quia diversi actus sunt. Dato autem quod intelligatur gratia subsequens, auxilium ad actum pure externum, quia hic subsequitur ad actum internum; non tamen inde sequitur, quod actus externus sic elicited habeat distinctam bonitatem, vel malitiam ab actu interiori, sed sufficit quod habeat extensionem, et participationem aliquam accidentalem ex actu interiori derivatam, ut dictum est, non tamen inde sequitur, sed quod induat distinctam bonitatem, sufficit quod habeat novam difficultatem in participando, et extendendo illam malitiam interiorem, quia revera in executione externa plus difficultatis est, quia plures habet circumstantias considerandas, plura contraria, et obstacula, quæ impediunt ejus executionem. Gratia autem specialis, et distincta datur non solum propter distinctam bonitatem faciendam, sed etiam propter diversam, et majorem difficultatem vincendam in eadem bonitate, ejusque applicatione et extensione ad opus.

LXII. Secundo arguitur ab inconvenientibus. Et primum sit, quia si actus exterior non addit malitiam super actum interiorem, sequitur quod non sit obligatio explicandi illum in confessione explicato peccato, seu malitia interiori. Consequens est plusquam temerarium, et contra universalem praxim Ecclesiæ. Sequela vero probatur, quia non est obligatio confitendi nisi peccata, et quidquid habet rationem culpæ, si quidem sola peccata sunt materia confessionis; ergo ubi non est distinctum peccatum, et malitia, non

est obligatio confitendi illud distincte et per se. Nec sufficit dicere quod oportet confiteri actum exteriorem tamquam circumstantiam aggravativam actus interioris. Contra enim est, quia de circumstantiis aggravantibus est positum in opinione, an sit obligatio confitendi illas, de actu vero exteriori extra omnem opinionem est, quod sit necessarium confiteri illum; ergo non potest reduci ista obligatio ad rationem circumstantiæ aggravantis.

LXIII. Secundum inconveniens est, quia si actus exterior non habet majorem bonitatem, aut malitiam, quam interior sequitur, quod non magis mereretur, qui martyrium subito de facto, quam qui solum vult illud pati, stante æquali voluntate utriusque ad patiendum: si quidem exterior actus non addit bonitatem ad interiorem; ergo neque addit meritum: imo diminueret actus martyrii tale meritum, quia ut dicit S. Thomas in hac quæstione xx, art. iv, actus externi pœnales solent remittere, et retardare voluntatem, et consequenter bonitatem, ac meritum illius. Consequens autem est omnino falsum, quia Ecclesia non colit, nec celebrat tamquam martyrem illum, qui habuit voluntatem patiendi, aut etiam procuravit martyrium, si de facto passus non est; ergo neque idem meritum attribuit voluntati patiendi, et passioni ipsi exterius toleratæ. Et idem quod dicimus in exemplo de martyrio constare potest aliis exemplis, ut verbi gratia si duo habeant æqualem voluntatem faciendi opera pœnalia, et satisfaciendi, aut offerendi, vel mandandi offerri sacrificia, et unus de facto faciat ista opera, alius non, ille qui facit, magis satisfacit, et citius de purgatorio evolabit qui missas facit dicere de facto, quam qui solum vult; ergo signum est exteriora ista opera addere ad inte-

riorem bonitatem. Unde inter errores Abailardi, quod refert S. Bernardus epistola CLXXXIX, unus erat, quod sola voluntas remuneratur, vel punitur a Deo, nec propter opera externa fit homo melior vel peior; ergo actus externus addit malitiam vel bonitatem ad interiorem. Et in omni republica et gente, non ita punitur voluntas interna peccandi, sicut externus actus, verbi gratia furtum, vel homicidium, imo illa sola non punitur, sed hic; ergo signum est ex omnium gentium consensu aliquid punibile inveniri in exteriori actu, quatenus externus, qui non in interiori; ergo et aliquid malitiæ plus quam in actu interno, nam etiam id quod lege humana punibile est, malum morale est.

LXIV. Respondetur ad primum inconveniens, omnino obligari fideles ad confitendum peccatum externe commissum, et perpetratum, nec sufficere interiorem confiteri, quia exterior actus non est peccatum tamquam circumstantiam, sed tamquam substantia ipsa, et consummatio peccati. Imo si esset circumstantia aggravans adderet malitiam aggravative: non addit autem novam malitiam supra interiorem, quia est substantia ipsa peccati. Unde non sequitur, quod non teneatur illam confiteri, licet distincta et nova non fit supra interiorem, quia est ejus consummatio, et ad ejus substantiam pertinet non solum in quantum est ejus objectum, sic enim etiam explicatur actus externus ut objectum interioris, quando ipse interior actus explicatur, sed etiam executio peccati, et hæc in se ipsa peccatum est, et prohibitum, et sic oportet id explicare in confessione, licet non sit distincta, nec superaddita malitia ad actum internum, sed eadem ut consummata, et executata. Nec enim requiritur ad obligationem confitendi nova, et